

# CEREMONIALIS ROMANI LIBRI PRIMI SECTIO. V.

## CAPUT I.

### *De adventu & coronatione electi in Imperatorem Romanorum.*

**E**LECTUS REX FUTURUS ROMANORUM IMPERATOR primum consuevit electionem suam per suos solemnes oratores Pontifici summo innumare, & decretum electionis ostendere, devotionem ac fidelem reverentiam exhibere, favorem & gratiam Apostolicæ sedis implorare, offerre se ad quæcunque fidelitatis juramenta Romanæ Ecclesiæ præstanda, & demum unctionem consecrationem & Imperii diadema humiliter postulare. Pontifices vero consueverunt viso decreto, & examinata electione in sacro senatu, habitaque sufficienti informatione tam super forma electionis quam super idoneitate & habilitate personæ electi, per commissarios à se constitutos ad instantiam dicti electi ipsum electum in spiritualem filium suum & Ecclesiæ Romanæ suscipere, illiq; favorem & gratiam concedere, & ipsius Regis electi personam idoneam reputata, eum nominare, denuntiare, assumere, & declarare Regem Romanorum, ac etiam habilem & sufficientem declarare ad suscipiendam Imperialis celsitudinis dignitatem, decernere consecrationem & coronationem per manus suas esse impendendas, & supplere omnes defectus &c. Hoc servatum legimus in Carolo IIII. à Clemente VI. & antea in Henrico VII. à Clemente V. & in Alberto eius prædecessore, & Rodolfo patre à Bonifacio VIII. & à pluribus aliis, & in Venceslao Caroli IIII. filio, quem pater adhuc vivens in Romanorum Regem ab Electoribus designari procuraverat: cuius rei approbationem cum Gregorius XI. ad quem delata erat, morte præventus decernere non posset, Urbanus VI. eius successor legitime confecit.

## CAPUT II.

### *Quomodo veniente Imperatore mittantur Legati Apostolici.*

**E**lectus igitur Rom. Rex cum statuerit Urbem petere ad imperiale diadema de manu summi Pontificis suscipiendum, primum convenit per nuncios suos cum Romano antistite de modo & tempore intrandi, ut Pontifex rebus opportune consulere possit. Deinde cum Pontifex noverit Cæsarem jam Italiam intrasse, mittit illi obviam duos Legatos de latere, qui illum conveniunt, ante-  
quam